

## LLPSI. CAPITVLVM IV. FAMILIA RŌMĀNA: Dominus et servī



### *Nummus Dāvī*

Aemilia, quae virum suum nōn videt, Dāvum interrogat: "Ubi est vir meus? Cūr nōn venit?"

Dāvus audit dominum, quī Mēdum vocat: "Venī, Mēde, improbe serve!"

Dāvus: "Audī! Dominus Mēdum vocat, sed Mēdus abest neque venit."

Aemilia: "Mēdus nōn venit quia pecūniam dominī suī habet. Is servus improbus est! Sed ecce venit vir meus."

Aemilia laeta est, quia Iūlius venit. Is Irātus est, et sacculum suum in mēnsā pōnit.

Iūlius: "Ecce sacculus meus. Nōn centum, sed tantum decem nummī in sacculō meō sunt. Cēterī nummī meī sunt in sacculō Mēdī!" Dominus suum Mēdum servum accūsāt.

Aemilia: "Nōn decem, sed tantum novem sunt nummī in sacculō tuō."

Iūlius pecūniam numerat: "Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem. Quid? Novem tantum? Cūr ūnus nummus abest?"

Aemilia: "Quia in sacculō Dāvī est, neque tuus, sed Dāvī est nummus. Ecce Dāvus adest. Is nūllum tuum nummum habet. Nōn Dāvum, sed Mēdum accūsā!"

Dāvus: "Ecce parvus sacculus meus, domine. In eō ūnus est nummus, quī meus est."

Iūlius: "Ō Dāve, nummum habē, bone serve! Nōn meus, sed tuus est. Sūme sacculum tuum et discēde!"

Rīdet Aemilia. Iam Iūlius quoque rīdet neque Dāvum, servum probum, accūsāt.

Dāvus sacculum suum sūmit et discēdit .

Iūlius: "Probus servus est Dāvus, eius est pecūnia quae in sacculō eius est. Sed mea est pecūnia quae est in sacculō Mēdī!"

EXERCITIA dē grammaticā Latīnā

DĒ PRONŌMINE-ADIECTĪVŌ INTERROGĀTĪVŌ

	numerō singulārī			numerō plūrālī		
	Masc.	Fēm.	Neut.	Masc.	Fēm.	Neut.
nōminātīvus	quis (quī...) <sup>1</sup>	quae	quid (quod...) <sup>2</sup>	quī	quae	quae
accūsātīvus	quem	quam	quid	quōs	quās	quae
genitīvus	cuius	cuius	cuius	quōrum	quārum	quōrum
datīvus	cui	cui	cui	quibus	quibus	quibus
ablatīvus	quō	quā	quō	quibus	quibus	quibus

VSVS:



- Quis est? – lūlius est.
- Quis est lūlius? – lūlius vir Rōmānus est.
- Quī<sup>1</sup> vir est pater Marcī? – Pater Marcī est lūlius.



- Quī sunt? – Dāvus et Mēdus sunt. Quī sunt Dāvus Mēdusque? – Duo servī sunt.



- Quī sunt? – Sunt līberī lūlī et Aemiliae. – Quī? – Mārcus, Quīntus lūliaque.



- Quis est? – Aemilia est. – Quae est Aemilia? – Aemilia fēmina Rōmāna est.
- Quae fēmina est māter Marcī? – Māter Marcī est Aemilia.



- Quae sunt? – Syra et Dēlia sunt. – Quae sunt Syra et Dēlia? – Syra Dēliaque sunt ancillae Aemiliae.



-**Quid** est?  
oppidum est.

-**Quod**<sup>2</sup> oppidum est? – Tūsculum est!

– Oppidum est. – **Quid** est Tūsculum? – Tūsculum



ostium et fenestra

**Quae** sunt? – ostium et fenestra sunt!

MEDVS



**Cuius** dominī servus est Mēdus?



– Mēdus servus Iūlii est. – **Cuius** est servus? – Iūlii.



- **Quōrum** servōrum dominus est Iūlius? – Iūlius est dominus Mēdi et Dāvī. –  
**Quōrum**? – Mēdi et Dāvī!



-**Cuius** dominae ancilla est Syra?  
– Aemiliae.

– Syra ancilla Aemiliae est. – **Cuius** est ancilla?



- **Quarum** ancillārum domina est Aemilia? – Aemilia domina est Syrae Dēliaeque –  
**Quārum**? – Syrae et Dēliae!

\*\*\*

## DISCIPVLŌS INTERROGĀ DĒ VOCĀBVLIS SCHOLĀRIBVS<sup>1</sup>:

Ex. gr. Quae sum ego? Tū magistra es!

1. Quī vōs estis? Nōs .....
2. Quae est? ... [Digitō nōnullam discipulam indicā et eius nōmen Latīnē dīcendum est]
3. Quī discipulus est? ... [Digitō nōnullum discipulum indicā et eius nōmen Latīnē dīcendum est]
4. Quid est hoc? [Digitō diversās rēs indicā: liber, mēnsa, sella, tabula, stilus, crēta,...]
5. Cuius discipulī est hoc? [Digitō diversās rēs indicā: charta, sarcina, hōrologium, rēgula, gumba, cuspidārium,...]
6. Cuius est hoc? [Digitō aliquid magistrae aut discipulī indicā ad pronōmina possessīva ūtenda: meus/tuus]
7. Quōrum discipulōrum sunt haec? [Diversās rēs sume, ex. gr., duōs vel trēs librōs discipulōrum]

<sup>1</sup>Vidē *Centum vocābula scholāria* in pāginā c. n. Scribd [http://www.scribd.com/full/48643489?access\\_key=key-2312biktismi1ndp4byj](http://www.scribd.com/full/48643489?access_key=key-2312biktismi1ndp4byj)